

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843, enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0632

0630

0636

0626

0641

0621

0681

0581

0731

0531

0131

Ende

Anfang

59

tamen juxta murum, et quidam de peregrinis optabat Zachaeum adhuc esse domus illius hospitem, ut nobis provisionem faceret, eramus enim esurientes et sitientes, et ea, quae de Jerusalem in sacculis nostris tuleramus, iam consumpta paene erant. Speravimus tamen, quod in Jericho panem et aquam reperiremus pro refectioe nostra, his enim optime contenti fuisset. Sed alius cibus parabatur nobis, panis angustiae et aqua tribulationis.

Nam nobis stantibus et conferentibus inceperunt ductores nostri celeriter et cum horribili clamore nos propellere et stimulare ad exitum de Jericho. Viri namque Jericho conglobati nos praeoccupare nitebantur ad extorquendam pecuniam. Hoc considerantes nostri citius exire nos impulerunt, et ipsi nostri armati in eorum cumulum cum equis irruerunt eosque diviserunt, viam nobis per medium eorum parantes. Ad hoc pueri et mulieres accurrerunt et cum lapidibus in exercitum jactaverunt; inter haec multi fuerunt de asinis tracti, et pileis spoliati, et aliqui lapidibus laesi. Et fuit tantus tumultus factus, quod propter cursum bestiarum et hominum fuit terrae pulvis excitatus in tantum, ac si tenebrosa nebula Jericho operuisset. Cum autem viri Jericho vidissent, quod nihil in nos haberent, et quod paulatim manus eorum evaderemus, converterunt se ad lapides, et nos cum ductoribus nostris cum periculo magno a se ejecerunt, et omnes fugimus, ac si gladiis nos persequerentur. Exivimus ergo non solum inanes de Jericho, sed etiam castigati et confusi, de quo multi milites fuerunt turbati, et optabant ignem de coelo descendere ad consumptionem Jericho (**B**) et habitatorum ejus, moti eodem spiritu, quo Jacobus et Johannes Lucae IX., quando in civitate quadam Samaritanorum Dominum Jesum et discipulos ejus recipere volebant, quam igne coelesti consumere volebant. Sed reprehensi de hoc fuerunt, ut patet ibidem.

De civitate Jericho, qualis fuerit, et qualis nunc sit?

Jericho civitas alio nomine vocatur civitas palmarum, 2. Paral. 28., in sorte tribus Benjamin sita. Fuit autem ab antiquo civitas abundans et in bono loco, nisi quod aquis dulcibus